

05

A

1933





In Nomine JESU.

DISPUTATIO PHYSICA.
EDUCTIONEM
FORMARUM è POTENTIA
MATERIÆ STATUENTIBUS
OPPOSITA.

Quam

Favente Dei Gratiâ in Academia VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi atq; Excellentissimi,

Dn. JOHANNIS SPERLINGII,

Phys. Profes. Pub. Domini Præceptoris &
Fautoris venerandi.

Publico dextrè Philosophantium examini sistit.

JOHANNES MILOCHOWSKI,

Solnâ-Hungarus.

AUTOR

Ad diem

Octobris,

6. Oct. 1715.



WITTEBERGÆ,

Typis Excudebat MICHAEL Wendt.

GENEROSO ac NOBILI VIRO;

Dn. IEREMIAE FABRITIO,

Civitatis Solnensis Senatori primario, & Notario
dignissimo Domino Avo, & Promotori studio-
rum meorum aeternum honorando.

Ut &

Plurimum Reverendo & Clarissimo Viro.

Dn. DANIELI DUBRAVIO,

Ecclesiae Senicensium Antistiti dignissimo, Comita-
rum, Posoniensis, Nitriensis, &c. Superinten-
denti vigilantissimo, Domino Fautori &
Amico venerando.



Item

Viro Reverendo Amodum, & Clarissimo

Dn. ANDREAE KULIFAY,

Ecclesiae Lucensium, &c. Pastori vigilantissimo,
Domino Patri Promotorique, Filiali cultu
prosequendo.

05 A 1933

SALUTEM & PACEM.

SI utilitatem, si difficultatem ulla habet materia, Pa-
ter Generose, Plurimum Reverendi & Clarissimi Viri, ea
quæ Originem Formarum concernit utilissima juxta ac difficil-
lima est. Admirandum enim est generationis opus, plenum
sapien-

sapientiam, plenum potentiam. Hinc alij alia placere, ut non habeat facile mens veri cupida, cui credat ferè. In illam sententiam alij pervenere, formas non à genitoribus mediante semine produci, nec semen actu animatum esse, sed è materia potentiam educi. Alij à Cælo & Astris tanquam communi & universali causâ eas induci statuunt, proximam verò & particularem causam cœcutientes prætereunt. Aliunde alij formas deducunt, omnes tamen utilitatem & difficultatem materiae agnoscunt. S. Augustinus Libro 2. de Ordine cap. 8. duas præcipuas in Philosophia docet esse quæstiones, unam de anima & origine ejus, alteram de Deo: primamque efficere, ut nos ipsos noverimus; alteram ut originem nostram: illam nobis dulciorem, hanc clariorem esse. illam nos dignos beatam Vitam, hanc beatos reddere. Quibus excellentiam, utilitatem & suavitatem scientiæ de origine & facultatibus animæ, demonstrat. Ad hunc modum & Ethnici ipsi suos hortabantur passim. Nam, teste Tull. o. lib. 1. Tuscul. quæst. & Plotino lib. 3. Enneadis 4. cap. 1. oraculum olim in foribus templi Delphici inscriptum monebat, maxime quemque eniti debere, ut animi naturam cognosceret. Ejus enim spectata excellentiam, facile sibi persuadebit quilibet, non esse in his fluxis, caducisvè rebus immorandum, qui tam nobile ejus originem cognoverit, ejusque supra omnes res creatas imperium consideraverit, ac solius infiniti Dei, immensis Oceani aquis satiari se posse experiatur. Feci periculum Pater Generose, Admodum Reverendi & Clarissimi Viri, & in hujusce disceptationis Patronis eligendis nequaquam.
A 2. 8. lin 9

Patroni

troni Maximi, has Studiorum primitias Vobis non
consecrare. Utpote qui à pueritia innumeris bene-
ficijs à Vobis dotatus, Præceptorum quàm publicæ tam
privatæ curæ, sumptibus vestris commissus. Et nunc
quoque magnis impensis studia Academica promo-
vere non denegastis. Vestram itaque imploro beni-
gnitatem, quâ hoc munusculum perpetuæ meæ erga
vos observantiæ *τεκνίειον* æqui, bonique consulere,
ac potenti patrocínio Vestro complecti ne dedigne-
mini. Operam daturus, ut vicissim omnitempore
observantiam & obsequia cumulatè rependam. Et
cum fortè res & effectus me deficient, affectus certè in
me nunquam desiderabitur. Deum veneror, Pater
Nobilissime, Vivi Reverendi & Clarissimi, ut curas
vestras, ut sumtus vestros, condignâ in æternâ felici-
tate remuneretur. Valet. & favete. Dabam è Mu-
seolo meo Wittebergæ, die 23. Octob. An. 1652.

*Vest. Gen. & Nob. Dominationis
Pl. Rev. & Cl. Dom. Vest.*

Filius obsequentissimus

JOHANNES MILOCHOWSKI,
Phil. & SS. Th. Stud. AUTOR.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

Nihil communiùs Interpretibus Aristotelis esse opinor, quam Formarum originem, & quidem sine veris principijs indagare. Inaprico est Deum Optimum Maximum, formas in primo creationis actu indidisse, facultatemque propagandi & multiplicandi se quibusdam concessisse. Hinc gemina earum origo: Creatio & Generatio. Illæ à Creatore, hæc à genitoribus oriuntur. Mandavit enim edicto hoc: Crescite & multiplicamini. Contrarij hinc sunt Interpretes Aristotelis, & quidem Scholastici, qui in eam sententiam devenere, formam non ipso actu primo à genitoribus per generationem fieri, sed è potentiâ materiæ educi. Sententia hæc videre est in Scriptis eorum, in disputationibus Physicis de Materiâ & Forma, quas commentarijs comprehenderunt, Conimbrienses, Franciscus Svarez. Petrus à Fonseca, Antonius Ruvio, Benedictus Pererius, Johannes Lalemandet, P. Hurtadus de Mendoza, Rodericus de Arriaga, Franciscus d' Abra de Raconis, & innumerabilij. Verùm quicquid sit de doctrina eorum, cum principijs evidentibus stabiliri nequeat, eorum doctrinam vel sententiam non defendendam, sed quantum ingenij mei vires permiserint oppugnandam suscepi.

Thes. 1.

Ante omnem explicationem rei, sciendum est quid formæ sint. Formæ juxta omnium Philosophorum, & Medicorum ductum sunt causa interna per quam corpus naturale constituitur. Dicunt eam quandam essentiæ Divinæ imaginem. Et si anima fuerit, ejus proprium est corpus vivificare, & movere. Eadem corpus omnium perfectionum genere instruit, ipsi magnitudinem, situm, & pulchritudinem tribuit. Estque forma alia generica, alia specifica. Illa multis corporibus naturalibus communis, hæc unius corporis propria est. Hæc denique dat esse rei operari, distingui. Sic homo specie differt ab Equo &

A 3

Cane

Cane, per suam formam, quia aliud esse dat homini aliud Equo; aliud Cani. Vid. Dn. D. Sennertum in Tract. de Cons. Chym. pag. 88. Præcl. Dn. Præsides in Instit. Phys. pag. 77. & 87.

2. Non sine magno labore olim Philosophi formarum originem inquisivere, opusque generationis admirati, difficultatem summam in eadem latere agnoverunt, ita ut nonnulli in indaganda veritate, prorsus desperarint. Investigabant quidnam illud sit, quod corporibus animantium suam figuram & magnitudinem tribuat. Inde Subtilissimus Scaliger in 1. de Planis ait. Ne inter primos quidem Philosophos satis constat, quis sit formarum dator, ut unde possiciscantur. Neque facilis patere videtur ingenijs humanis aditus, ad hujusce sacrarij penetralia.

3. Ut igitur varias hac de re opiniones videamus, non adeo necesse est. Hanc solum de Educatione considerabimus. Interpretes Aristotelis mirum in modum se macerant, in indaganda hac educatione. Verum frustra. Et hinc varias condiciones potentiae enumerant, aliam dicunt esse universalem, & quae materiae primae essentialis sit, ad praedicamentumque substantiae pertineat: Aliam particularem, seu dispositionem Accidentalem. Tandem alij per modum potentiam illam explicant. Formas igitur educi juxta illos nihil aliud notat, quam productionem formae, ab agente naturali mediantibus dispositionibus, ita ut quae prius erat in causis, & esse tantum potentiale habebat, post sit extra causas, & esse actuale acquirat. Verum id rei haud satisfacere demonstrabo. Consule etiam Exper. Dn. D. Sennertum in Trac. de Cons. & Diss. Chym. Excell. Dn. Praes. in Trac. de Orig. For. contra Freitagium D. pag. 12.

4. Verba haec. Educitur a potentia materiae, vix aliquis adhuc, demonstrare potuit quidnam rei subsit, ut animus veritatis cupidus in ijs acquiescere potuerit. In nulla enim materiae potentia latent formae. Et si in suo sinu materia formas contineret, materia tum esset Ens nobilissimum, nobilisque principium quam forma, formae denique principij nomine dignae non essent. Ut recte Celeb. Dn. D. Sennertus in Trac. de Consensu & Dissensu Chym. Excellentissimus Dn. Praeses in Institutionibus Physicis statuunt.

5. Addam.

5. Addam hic quoque explicationem verborum illorum E-
duci è potentia materiæ; quæ sic explicant & dicunt: Contine-
re quidè[m] materiam formas, sed non actu, in materiaque esse ali-
quam dispositionem & propensionem ad formam, quæ ubi com-
pleatur, tunc rem jam fieri actu, quæ antea in potestate erat. Se-
minis tunc esse naturam hanc, causa cum accesserit Efficiens, ex
sua potentia quasi edat actum seu formam, quæ ante actionem
non aderat, & materiam hanc esse certam determinationem, ut ex
hac fiat hoc & non aliud, in ovo pullus non Equus. Vide Excel-
lentem Philosophum Rodericum de Ariaga Disp. Phys. 3. de
Forma Substantiali. pag. 278. Porro tamen quæro. Quâ ra-
tione hæc potentia compleri poterit, & unde illa forma quæ Sub-
stantia est ad actionem agentis provenit, an nimirum potentia il-
la quæ qualitas est, mutetur in substantiam? quod absurdum.
Accidens enim in substantiam mutari nequit. Ex nihilo eas fie-
ri non concedent. Ut monet D. Sennertus in Trac. de Con: Chym.
pag. 93. Dn. Præses Instit. Phys. pag. 92.

6. Ulterius dico. Si formæ aliæ educuntur è potentia ma-
teriæ, dicant defensores Educationis, earum causam proximam?
Exemplum fiat v. g. Anima canis cum è potentia materiæ educi-
tur, quam nam habet proximam & principalem causam? Non
generans ipsum, hoc enim quiescit & quod suum fuit seminis emis-
sione præstitit. Non coelum, non astra, hæc enim indifferenter
se habent; non calor, hic enim accidens est, inquirent ergo quod
possint.

7. Porro. Si formæ è potentia materiæ educuntur, regula
illa nulla erit. Generans genito dat essentiam, cum communi-
catio essentiae non fiat sine communicatione formæ, is ergo dat
formam, qui dat essentiam. Sic gallus dat essentiam pullo, &
formam, si jam essentiam & formam dat, quando hoc præstat?
procul dubio dum eum generat, cessante enim generatione omnis
influxus galli cessat. Quando autem generat? In congressu.
Quo stante cadit educatio, stante verò educatione, cadit illa essentiae
communicatio.

8. Si quærerem ab eis v. g. in semine canis, quando ibi pro-
duci-

ducitur anima? Responderent, quando mutatum est semen in corpus organicum. O absolum! Sic mortuus canis generabit. Quid verò jam tandem dicunt è potentia materiæ? In materia nihil aliud est quam ejus substantia & accidens. Non ex substantia materiæ: Substantia enim materiæ in substantiam formæ mutari non potest. Non ex ejus accidente, ejus enim accidens est Calor, mollities, humiditas. Ergo ex calore, mollitie, humiditate ipsis formæ?

9. Sunt & aliqui, qui & animam humanam, è materiæ potentia educi statuunt. Verùm argumentor. Quicquid oritur è potentia materiæ illud materiale est. At anima humana (juxta illos) oritur è potentia materiæ. Ergo etiam est materialis. Majorem probo. Formæ illæ ideo istis materiales dicuntur, quia è materia educuntur. Iterum. Quicquid materiale est illud est mortale. Atqui anima humana (secundùm illos) est materialis. Ergo anima humana est mortalis.

10. Neque ad Univocam generationem, veramque similis essentiæ productionem sufficit, dare materiam cum aliqua proclivitate & propensione ad formam suscipiendam. Et hoc modo calor agens isque accidens plus conferret ad generationem, quam generans, qui facit ut forma jam actu sit, quæ per generationem saltem in potentia erat. Ut rectè monet Jul. Cass. Scaliger Vir subtilissimus Exer. 6. Sect. 5. Emergio potius, quam eductio. Et paulo ante. Forma est in semine canino, cujus in potestate dicitur esse, quia semen est potens dare formam, quam in se continet. Educitur autem de ea potentia remota, qui est actus primus ad potentiam propinquam, qui est actus secundus. Scilicet ut forma sit in eadem materia, ad eundem modum qui nullis egeat adminiculis ut sine suo fruatur ad quem comparatum est totum compositum.

11. Rationes quas afferunt educationis Patroni, ut eo facilius pateant huc afferro. P. Conimbricenses, qui aliàs sunt magnæ autoritatis apud plerosque in Commentario Physices 9. questione 12. multas impertinentes distinctiones & conditiones ponunt, difficultates verò ne extremo quidem digito attingunt.

Quo-

Quomodo enim educationi formarum conveniunt voces hæ. In-
vehi? Inferi? Induci? Hæ verò quomodo. Rectè & propriè è mate-
ria censerì educi formas illas, quarum privatio cū dispositionibus
in materia præfuit. Verùm privatio infert potentiam. Poten-
tia vel Universalis vel particularis est. Dicant è quâ educantur
formæ.

12. P. à Fonseca Com: 5. Metaph. 2. quæst. 4. eodem ferè mo-
do rem mihi videtur explicare, cum formas è potentia materia
educi asserit idem esse ac si dicam, eas fieri dependentes, à mate-
ria seu subjecto: Explicat enim se Formas educi nihil aliud esse,
quàm factum esse ut ea forma, quæ prius actu non erat in materia,
sed potentiâ tantùm, jam sit actu in illa. Sed manet quæstio, un-
de illa forma sit; an ex aliquo an ex nihilo? Dicit P. Fonseca.
Formas in materia præesse in potentia tantùm passibili. Contra
Unde igitur actus ille si nihil actus præcesserit? Nam ex nihilo
nihil fit illis. Ut verò forma sit non modo, sed materia opus est.
Opus etiam certo & particulari efficiente. Remotum enim & non
limitatum huc nihil facit, & nisi particulare sit. certum effectum
non edit.

13. Franciscus Svarez, & Rodericus de Arriaga Jesuvitæ.
In disputationibus; ille Metaph. 12. Sect. 1. & 2. hic in Phys. Disput.
de Forma substantiali; obijciunt, hoc modo quærendo: Unde-
nam habet v. g. Ovum gallinaceum ut non nisi in gallinam ten-
dat? Dicere hîc possem, à forma ejus id fieri. Illi verò non à for-
ma sed materia. Num igitur jam materia simul est & actus &
potentia? quod eis absurdum esset. Neque hic dici poterit, ali-
quid abradi à forma galli cum semen profundit, calidum enim na-
tivum retinet, & natura inde excogitavit varios modos generatio-
nis, quorum perfectissimum est semen. In semine autem actu
esse formam infra demonstrabo.

14. Denique nec hic tollitur generatio ut vult Antonius Ru-
vio & Fran: de Raconis, si formale quid præfuisse dicam, v. g. non
gallina. Necessario enim hæc est in ovo, & hac præeunte sit gal-
lina. Ovum tamen quia simpliciter non est gallina, si jam ex illo
fiat gallina, cur generatio substantialis dici non possit? Dico de-

B

inde

inde. Privatio non est simpliciter non Ens, hoc est, pura pura negatio; sed est non hoc Ens v. g. non gallina è qua fit gallina, & non alia avis. Sed ita cogere concedere formam extra suam materiam alicubi esse, eamque non totam seu perfectam, quod absurdum est. Respondeo. In rebus factis concedo in fieribus nego. Nam gallina aut ejus forma, ubicunque est, integra est, & differt hæc ab illa numero ut dixi. Vel ovum à gallina gradu tantum differt; quia in gallinam ordinatum est.

15. P. Benedictus Pererius lib. 5. Comm. Princ. c. 21. multum præstare se putat, si distinguat duplicem materiam potentiam, quorum altera convenit primæ, & indistincta est, indefinita, indeterminata, universalis, confusa & remota, &c. Altera secundæ, & distincta est definita, determinata, particularis, propinqua, &c. Licet verum sit me agere de materia secunda, quæ jam adstricta est certæ formæ: tamen hoc quoque verum est illam esse accidens, & ex accidente non fieri formam. Neque fit actio, nisi præsentem efficiente proximo, quod ipsum formale quid in se habet. Ovum gallinaceum est etiam determinata materia ad gallinam, inde tamen gallina non fit, nisi à movente & agente. Possibilitas denique materiam nihil aliud est, quam posse fieri hoc & hoc.

16. Scire etiam vellem. Undenam cum sic disceptant de educatione formarum opinionem habeant? Et ubi Aristoteles hoc, quod Interpretes ejus de educatione formarum è materia nuda profitetur? Monstravit doctissimus Hoffmannus D. non Aristotelis sententiam, sed Scholasticorum figmentum esse decantatam illam educationem. Nos hic supersedemus & lectorem ad laudatum Autorem amandamus.

17. Fridericus Pendasius quidem in Exam. Princ. Arist. p. 20 ait. Certum est Aristotelis dogma hoc esse, generationem fieri per educationem formæ ex materia, non per inductionem imaginum à formis proficiscentem ut docuit Plato. Quibus in verbis noto hoc. Educationem dici Aristotelicam, prout opponitur inductioni Platonice quæ fit per Ideas. At si certum est inductionem hanc alienam esse à Schola Peripatetica: ita educationem hanc

hanc ex Aristotele nondum probaram esse certum est. Quæ quæ-
so consequentia? Non fit per inductionem illam. Ergo fit per
educationem hanc: tanto minus quod formas in materia latere,
Aristoteles nusquam monuerit. Pendasius ex Averroë 8. Meta-
phys. 15. 12. Met. 18. Hinc elicitur verus sensus verborum Aristo-
telis. 2. Metaph. 4. 15. Quæ causa est inquit, quæ id quod poten-
tia est, producit in actum, præter id quod agit & efficit in ijs in qui-
bus generatio est? Ut constet. Educationem hanc formarum non
posse adscribi Aristoteli, in qua re etiam multi ejus Interpretes
sentiunt, sed potius Averroi, ejus opinionem hanc, vel potius fi-
gmentum esse statuendum.

18. Siquidem jam sententia de educatione formarum est re-
jecta, sic & inductionem earum rejiciendam esse dico. Induci
autem formas volunt esse in materiam præparatam, naturali &
inevitabili necessitate à Cælo & astris eas invehiri & inseri, ut vide-
re est, apud Præcl. Dn. Præsidentem in Instit. Phys. pag. 113. verum Cæ-
lum & astra ad hæc Inferiora Universaliter agunt, nos autem par-
ticularem causam earum inquirere debemus. Nam. Quicquid
particularem determinatam, & propriam postulat causam illud à
Cælo & astris tanquam Universalis & generali non inducitur. For-
mæ particularem & determinatam postulant causam, Ergo. for-
mæ à Cælo & astris tanquam Universalis causa non inducuntur.
Videamus quid dicat Subtilis Scaliger. Exer. 6. Sec. 5. pag. 20. his
verbis. Si ita esset inquit, nulla esset generatio, est enim generan-
tis & generati. Hæc duo sunt in numero & specie unum. Aut
igitur æquivoca erit omnis generatio aut nulla. Neque enim
formam dederit Adamantius catellus, sed materiam tantum The-
rionillo. Tum erit Therionillus Solis filius, aut Veneris, aut ali-
us. Ab illo namq; materia sine forma deducta est.

19. Examinatis & refutatis adversariorum rationibus pro e-
ducatione, dico animam actu esse in semine. Videmus enim po-
tentiam animæ ejusque operationes esse in semine, animam itaque
inesse negari non poterit. Potentiæ namque non sunt separabi-
les ab anima, quia ejus sunt potentiæ. Impossibile est potentiam
aliquam alicui propriam esse in subjecto, in quo non est forma à

quã fluit. potentia. Et cum ex operationibus ad essentiã laten-
tis notitiã pervenire possimus, cur semini animam inesse non tri-
bueremus, cum ipsa cum suis operationibus se prodit? Fit hoc &
in plantis, imò & in animatorum perfectorum seminibus idem fi-
eri concedendum est. Ex semine non fiet animal nisi forma in sit
semini. Neque posset attrahere semen sanguinem maternum si
anima careat, & cum incipit attrahere alimentum semen, jam actu
operatur. Suffragatur hic mihi & ipse Aristoteles, qui 2. de Gen.
Animal, c. 1. docet. Ἄλογον enim videtur inquit Philosophus
ἔξωθεν τι παρῆν ἕκαστον, ἢ τῶν (πλαγίων ἢ τῶν ἄλλων μερῶν.
κινεῖν τε γὰρ μὴ ἀπὸ μείων ἢ δύνατον καὶ μὴ κινεῖν) ὅτι πάντα τὰ
ὑπὸ τῆς. Hoc est. Efficiens immediatum, necessariò conjungi-
tur cum patiente, dum fit actio. In formatione autem partium
nihil conjungitur cum materia, quam semen. Ergo & illud ge-
nerat & agens hic est principale.

20. Deinde ut veram originem formarum eo melius de-
monstrare possem, primò distinguo inter mundum creatum &
mundum propagatione conservatum. In mundo enim creato
omnes res acceperunt à Deo suas formas. (de quibus hic non di-
sputatur). In mundo verò propagatione conservato res accipi-
unt suas formas à genitoribus; hoc inde scio. Quia. Omne ge-
nerans generat sibi simile. Ergo etiam formam. Dices, quando
hoc fiat? Respon. Fit in ipso momento generationis, & in ipso
congressu generantis, nam post congressum Pater nihil addit, po-
terit enim tùm mori. Hoc totum oritur mediante semine, ubi
nova forma numero diversa specie eadem producitur. Ubi etiam
observandum, hoc non fieri à semine seu materia cum illud igno-
bile; non ex semine seu materia, quia illa est contradistincta for-
mã, & ex materia nil oritur nisi corpus. Verum in materia quia
illa in generatione non habet se passivè, sed ut principium aliquod
agens.

21. Quæri potest. Utrum forma sit & possit esse in pluribus
materiis? Difficultas est hæc, cum inveniantur nonnulli, qui pu-
tant formas migrare ex materia in materiam, adeoque mortuo
cane migrare posse animam canis in aliam materiam. Dico. Pro-
portio

portio requiritur inter actum & potentiam, inter materiam & formam. Hinc una quælibet forma conjungitur cum qualibet materia.

22. Quæritur porro. Qualis formarum interitus sit? Resp. Dico formas in totum perire, siquidem eæ extra materiam nec esse, nec operari, nec fieri possunt, sed in materia; hinc sublatâ materiâ, formas etiam perire necesse est. Pereunt ergo formæ omnes exceptâ animâ rationali. Ideò enim istæ formæ factæ sunt ut cum materia constituent aliquod compositum; hinc cum desinit ejusmodi compositum, easdem etiam desinere necesse est. Objicies. Formas non interire, cum materia non intereat, illa enim est immutabilis. Respondeo. Simplicem materiam esse immutabilem, mixtam mutari varijs modis. Pereunt igitur formæ, subiecto idcirco destructo. Et hæc sufficiant circa hanc materiam, imposterum plura ubi tum judicium, tum studiorum

uberiores profectus accreverint
expectabitis.

SOLI DEO GLORIA.



Abraham Calovius D. Prof. P.
Eccles. Viced. Pastor, Confr. Eccl. Adl.
& Curat. Eccl. Superintendent. Generalis

Eruditissimo Domino,
JOHANNI MILOCHOWSKY,
Solnensi Hung:

De origine animæ disputanti.

Divinas capimus, sed non sine traduce mentes,
Quæis Witeberga suum tollit ad astra caput.
Dissita ne nostras, Hungaria nesciat artes,
Ingenio, ingenij quæ sit origo probas.

fausti ominis causa scrib.

Johannes Meisnerus, SS. Theol.
D. Prof. Pub. & h. r. Acad. Rector.

Controversa nimis forma, sed vera propago est,
Quam tua propugnat docta, probatq; thesis.
Gratalor hos ausus, forti conamine pugna
Gloria certantem concomitanter habet.

Præstan. Dn. Resp: Amico dilecto
approperat

Johannes Scharfius D. Prof. P.
Senior & Præpositus.

Certi sunt ortus animæ, quos mentis acumen
Indagat; doctis pulchra palæstra patet.
Scripturæ sacræ tua si sententia cedit,
Defendes justa cum ratione theses.
Omnes ingenij dotes & munera honorem
Christi respiciant, atque bonum Patriæ.
Exim. Dn. Resp. scribeb.

Abraham Calovius D. Prof. P.
Eccl: VVitteb. Pastor, Consist. Eccl. Adfess.
& Circuli Elect. Superintend. Generalis

Ad Præstan: Dn. Respondentem Dispu-
tationis Autorem.

Quò te vis animi excelsi, quò te rapit ardor?
Ortus formarum querere, nã labor est.
Maacte tuo genio! succrescet adorea perpes,
Et natale solum non sine laude petes.

Johannes Sperling, Phys.
Prof. Pub. PRÆSES.

Si laudem exoptas, noli vitare labores,
Nulla pericla fuge,
Si suscepisti magno sudore labores,
Laus Tibi digna datur.
Eximij ergo animi quia monstras clara talenta,
Laus Tibi certa venit.
Perge velut pergis, susceptam texere telam,
Proderit hoc Patriæ.
quod exoptat

Johannes Andreas Quenstedt S. Theol.
D. ejusdemq; Prof. Extraord. Coll. Phil. Adj.

Eximio Dn. Respondenti.

Non se, clara, tua doctrina Lumina, CULTE
Servavère, decus, nunc sponte professa, sequentes
Hinc tu mentis opes, dignâ statione, polita,
Protrahis, & gazas dissipandis AMICE perennes:
Questio nam Physicis, nulla est, argutior illâ,
Quam, quia tu scire, & rectè jam scire laboras;

Ecquis

*Ecquis non laudet Genium? quid quantaque possit;
Ardua res fateor! Sed tu quod suscipis auge,
Atque placere Viris porro, studiosius insta:
Calliope hinc abiit, meritam exorare Corollam,
Quam TIBI Musarum jam PRÆSES APOLLO paravit.*

Hoc interioris admissionis symbolum

Amico sic dilecto

l. mq. ad p.

M. Johannes Josephus Danielis,
Schemnic: Hungarus.

*Ad Eximium & Præstantissimum Dn. Re-
spondentem, Fautorem, Amicum & Consalinum
suum colendum.*

Cui generosus inest animus, contemnit is ima,
Hæc nec, quæis gaudet mobile vulgus, amat.
Sed se tollit humo, quæritque volare per ora,
Doctorum, Phœbos condita dona legens.
Desuper est concessa Tibi mens abdita anhelans,
Hinc quæ non cuivis obvia scire cupis.
Scilicet indagas Formarum quæ sit origo
Vera, sit & quæ non, Fautor amice doces.
Gratulor ex animo de tantis ausibus, atque
Oro DEUM coeptis adsit ut ille tuis.

M. Ascanius Bakius,
Magdeburg.

Echne

05 A 1933

ULB Halle


3

003 785 157



VDA
Sch





In Nomine JESU
DISPUTATIO PHYSICA.
EDUCTIONEM
FORMARUM è POTENTIA
MATERIÆ STATUENTIBUS
OPPOSITA.

Quam
Favente Dei Gratiâ in Academia VVittebergensi
SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi atq; Excellentissimi,
DN. JOHANNIS SPERLINGII,
Phys. Profes. Pub. Domini Præceptoris &
Fautoris venerandi.

Publico dextrè Philosophantium examini sistit.
JOHANNES MILOCHOWSKI,
Solnâ-Hungarus.

AUTOR

Ad diem

Octobris,

6. Oct. 1715.



WITTEBERGÆ,
Typis Excudebat MICHAEL Wendt.

37